

**I N D E X**  
**LECTI ONUM**

IN

**ACADEMIA ROSTOCHIENSI**

**PER SEMESTRE AESTIVUM**

**A DIE VII. M. APRILIS AN. MDCCCXXXIV**

**PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.**

---

**CONTINUANTUR.**

**ADNOTATIONES AD NUBES ARISTOPHANIS.**

---

**L I T E R I S A D L E R I A N I S.**

v. 25. *Φίλων*] Inépte et scholiastae quidam id explicant ὡς φίλε, et Berglerus pro deminutivo habet ut γλύκων, μαλακίων, et quod vix credibile, Spanhemius ad equum refert. Est aurigae nomen; Philonem, nobilem Athenis architectum, habes ap. Cic. De Oratore I, 14. Ita multi Athenis fuerunt Philones.

v. 26. *τοῦτ' ἔστι τουτὶ*] ita Ravennas. Vulgo *τοῦτ' ἔστι τοῦτο*, quod ferri posse nego. Nam plane idem in Subjecto inesset, quod in Praedicato. Verum οὗτος et οὗτος inter se differunt, nec minus recte conjunguntur, quam οὗτος ἐκεῖνος hic ille, de quibus formulis dixi ad Somnium Luciani c. 11. *Τουτὶ* hic conjecerat Bentlejus, felicior Elmslejo, qui ταύτο emendabat. Atque etiam in Pace v. 64 scr. e Ravennate *τοῦτ' ἔστι τουτὶ* (vulgo *δῆτα*) τὸ κακὸν αὐτῶ, οὐ γὰρ λέγον. In utroque Comici loco *τουτὶ* nuper recepit G. Dindorfius, cui olim dixeram, *τοῦτ' ἔστι τοῦτο* cogitari non posse.

v. 28. Multum hic tricantur jam scholiastae, mirantes primo Pluralem, quod unus tantummodo fuerit δρόμος a carceribus ad calcem. Sed verba: quotnam spatia facient currus? hoc exprimunt: quoties idem illud spatium repetent? Deinde *πολεμιστήρια* alii scholiastae ad ludos curules referunt, alii ad currus bellicos. Sunt enimvero *πολεμιστήρια* ejusmodi currus, quibus juvenes in istis certaminibus uti solebant: quae certamina quum exercendi causa fieri solerent ad similitudinem bellicae disciplinae, ideo hi currus dicti sunt *πολεμιστήρια ἄρματα*. Sic igitur intelligo: quotnam spatia conficient currus in ludis Circensibus sive Equiriis? Hosce ludos Athenis primum a Theseo institutos esse recte tradunt scholiastae. Celebrabantur autem in honorem Neptuni cognomine τοῦ Ἰππίου. Vide Eqq. 550 Ἰππὶ ἄναξ Πόσειδον, ᾧ — ἀνδάνει — | μεираκίων ὁ ἄμιλλα λαμ — | πρυνομένων ἐν ἄρμασιν | καὶ βαρυδαιμονούντων. Jam ἀμιλλήματα *πολεμιστήρια* non dicuntur, quia non certamina gyros faciunt, sed currus aut equi. Neque magis equitatio significatur, quoniam neque equi ipsi, neque equitandi genera graece appellantur *πολεμιστήρια*. Nec porro τὰ *πολεμιστήρια* casus est accusativus, ut nonnullis interpretibus placuit, ductis haud dubie versu sequente. At verba filii patrisque ἐλά atque ἐλάυνεις non magis idem significare debent, quam paullo post vocabula ἐξαλίσας et ἐξήλικας. Omnino hic versus valde simplex videtur et certum puto, Phidippidem ante cursus initium videri sibi quaerere, quotnam curruum spatia futura sint. Recte vidit Hermannus, versus 25, 28, 32 cohaerere quodammodo debere. Scilicet Phidippides primo increpat Philonem, quippe in alienos gyros invadentem, tum somniat de novi ludi capiendo initio, denique equum jubet domum abduci, ut ludis jam finitis.

v. 30. *τί χρέος ἔβα με*] Scholiasta „*Εὐριπίδης· τί χρέος ἔβα δῶμα*.“ Fortassis hic Euripidis versus sumtus est e Peleo fabula cohaeretque cum alio Euripidis loco infra in Nubibus v. 1157. 1158 ad lusum jocumque converso. Potest enim tragicus ita scripsisse videri:

*τί χρέος ἔβα δῶμα [Πηλέως τόδε];*

Et paullo post

*Βοάσομαι τὰρα τὰν ὑπέρτονον  
βοάν. Ἰὼ Πηλέως τίς ἐν δόμοις;*

In nostro quidem versu parodiam recte agnoscit etiam Phrynichus Epitom. p. 591 Lob., in cuius codice Parisino ap. Bachmannum Anecd. T. II. p. 598 *με* deest, ut in Codicibus Mm AB. Phrynichus vero *χρέως* Atticis tribuit, *χρέος* autem abjudicat. Scilicet *χρέος* fuit veteris Atticisimi, *χρέως* ejus, qui novus dicitur. Quamobrem *χρέος* quum semper apud Tragicos legitur, tum etiam in tragicis versibus Comicorum. Et ad hoc quidem posterius genus spectat et h. l., et Arist. Acharn. 429. 430. At contra in versu plane comico, ut Nub. 1229, formae *τὸ χρέος* nullus est locus relictus. Bene autem Lobeckius l. l. apud Pausaniam II, 13 *ἐλθὼν κατὰ δὴ τι ἴδιον* non audet *χρέος* inserere. Nam utrumque legas in Luciano, *κατὰ τι χρέος* De Saltat. 64, verum Pseudolog. 8 *κατὰ τι ἀρχαῖον*. Ceterum in Juntina II. exstat *μετὰ τὸ Πασίαν*. Videntur igitur correctores *μετὰ τὸ Πασία s. Πασίου* furtim sufficere voluisse. At *μετὰ τὸν Πασίαν* breviter dictum est pro *μετὰ τὸ τοῦ Πασίου χρέος* prorsus graeco more, de quo v. Schaeferum ad Tyrwhitt. De Babrio p. CXC. Sic Homerus, *κόμαι Χαρίτεσθιν ὁμοῖαι* et Cicero, Res Graecorum cum nostra gente conferendae non sunt. Permire autem Reisigius Praef. p. XXIX. aes alienum hic cum cimice comparari narrat; Strepsiadem enim simul *τίς κόρις ἔβα με;* cogitasse, cimices venaturum. Numquam homo graecus intellexisset *κόρις με βαίνει* locutionem inauditam, nedum hic, ubi grandia habemus verba tragici. De cimice non magis somniabat Aristophanes, quam Euripides.

v. 51. *Ἀμυνία*] Egregie scholiasta, *καὶ οὗτος τῶν περὶ ἵππους πταισάντων*. Supra ad v. 21 conjeci, Pasiam Amyniamque rei equestris cupiditate jam dudum ad magnam inopiam redactos esse. Sin tamen hoc recens fuit infortunium, a Pasia coppatiam, ab Amynia autem sellam curulem, rotas, currum denique re vera tum vendita esse crediderim. Ita scilicet Aristophanes veritatem plane videbitur imitatus esse. Tum *ἀμεινία* V, *ἀμηνία* m, quod eodem spectat. Ita hi Codices infra quoque v. 676. Quum *Ἀμεινίας* et *Ἀμυνίας* non solum a scholiastis ad h. l., sed etiam a viris doctis saepe confusi sint, operae pretium est hos duumviros diligenter discernere. Nam is, qui Ol. 89, 2 Isarchum inter et Alcaeam archon fuit, *Ἀμεινίας* vocatus est. Hic *Ἀμεινίας* scribitur in omnibus Codd. Athenaei V, 218, e., Diog. Laert. III, 3 (loco caeteroqui suspecto), schol. Lucian. ad Timon. 50, schol. Nub. 545, in melioribus Codd. Diodori XII, 72 et fortasse alibi, male vero *Ἀμυνίας* in didascalia Vespasum. Ab eo diversus est *Ἀμυνίας* Pronapi f., ab Aristophane derisus tum multis in locis Nubium, tum in Vespis v. 74. 464. 1267 sqq., ubi libri tantum non omnes, etiam Ravennas, in scriptura per *υ* consentiunt. Graviorem etiam duco scholiastarum auctoritatem, qui vera ratione non intellecta tamen et ipsi, et in quodam Eupolidis

B

loco litera *v* utantur. Neque aetates utriusque ullo modo conveniunt. Aminiam enim archontem jam virum fuisse necesse est; Amynias vero illo ipso tempore ad juvenes refertur luxuriosos primo, mox pauperes. Longe igitur major aetate Aminias erat Amynia. Postremo si archon fuisset *Ἀμυνίας*, quomodo fieri posset, ut hic ipse in Vespis Amynia, ut putant, archonte editis publice rideretur? neque enim archontem in scena nominatim licebat traducere. Idem propemodum de tota hac re nuper statuisse Rasmus nostrum ad *Πόλεις* Eupolidis p. 111 sq. cum voluptate cognovi. *Κοινὸς Ἐρμῆς, φαδίην.*

v. 34. Particulam καὶ om R. Male. Et ad sortes quasdam reddendas condemnatus sum, inquit, et alii propter usuras pignora se minantur ablaturos. Cave igitur scribas *ὄτε γε δίκας* —. Mox *ἐνεχυράσασθαι* Codd. exhibent longe plurimi, — *ἀσέσθαι* paucissimi e Thomae alicujus interpolatione. Multa aoristi exempla ad Phryn. p. 749 sqq. collegit Lobeckius, qui non debebat aoristo hic temporis infiniti vim tribuere. Potius aoristo declaratur res et mox et certo futura (sic *drohen, ausprüfanden*), altero tempore res omnino futura, sive statim, sive post multos annos (sic *drohen, daß sie ausgesprochen werden*). Simillimus locus infra legitur v. 1144 *δικάσασθαι φαδί μοι.*

v. 38. *δήμαρχός τις*] Minus bene *τις δήμαρχος* Leid., Vmn, 2 qui *μέν τις δ.*, Dory. 3, 4, 6, et qui *μέν τις δ. 5.* Tum libri omnes *ἐκ τῶν στρ.* Ego correxi *οὐκ τῶν στρ.* Proxime ad hanc sententiam accessit Hermannus, quum verba *ἐκ τῶν στρωμάτων* et ad *δάκνει* et ad *δήμαρχος* pariter revocari posse diceret. Equidem ea unice refero ad *δήμαρχος*. Miror enim tam syntaxin *δάκνει* — *ἐκ*, quae versu hujus fabulae 708 minime defenditur, quam sensum ipsum: vix enim Strepsiades, qui etiamtum in lecto cubaret, dicere poterat, se cimicum morsu e stragulis expelli. Nunc, restituto *οὐκ*, magnae mihi videntur hujus loci facetiae. Strepsiades enim, tametsi dicere videtur *δάκνει με κόρις*, vere tamen sollicitus est de alio cimice haud paullo molestiore, demarcho, qui pignora ab eo capturus est. Jocosae igitur demarchum (*δήμαρχος*) cimicemque (*δάκνει* — *τις, οὐκ τῶν στρωμάτων*) ita conglutinat, ut uter miserum senem vehementius morderet, nesciremus, nisi res ipsa loqueretur. Praepositio *ἐκ* significat *oriundus* e stragulis. Sic infra v. 1066 pulchre restituit Reisigius, *Ἵπέρβολος δ' οὐκ τῶν λύχνων* —. Ibi jam Hermannus attulit versum Avv. 15 — *οὐκ τῶν ὀρνέων*. Neque injuria a demarcho sibi timebat Strepsiades. Harpocratio in *Δήμαρχος* — *ὄτι δὲ ἠνεχυρίαζον οἱ Δήμαρχοι, δηλοῖ Ἀριστοφάνης ἐν Σκηνὰς καταλαμβάνουσαις.*

v. 39. Bekkerus „*δὲ*] *μέν* VMmn“ Neque *σὺ μὲν κάθευδε*, et multo minus *τὰ μὲν χρέα* in illis Codd. facile credam inventum esse, quum lectiones istae e nullo alio libro afferantur. Errasse igitur Bekkerum arbitrari deceptum a Brunckio, qui *σὺ μὲν οὖν κάθευδε* edidit conjecturam, ut opinor, sequutus, non Codices. *Δ' οὖν* cum Imperativo est concedentis,

dormias *sane*; vide locos ad Ach. 186 a me collectos, quibus multos addere licet, ut Soph. Aj. 961, neque haerendum in voculis — δ' οὖν — δὲ proxime conjunctis.

v. 40. *τρέφεται*] Rav. *στρέψαι*. Ven. *στρέψεται*. Etsi verba *τρέψομαι* et *στρέψομαι* saepe a librariis permutata sunt, tamen hic *στρέψεται* haud omnino displicet, non quo usquam alibi legatur *ἐς τὴν κεφαλὴν στρέφοιτ' ἐμοί* pro *τρέποιτο*, sed quia senex ad suum nomen videri potest alludere et hoc dicere: quod tuo capiti sit, non Strepsiadis. Sic infra legitur de eodem Strepsiade v. 453 *ἀλλ' ὄσ' ἐμαντῶ στρεψοδικῆσαι* — et v. 1459 *στρέψας σεαυτὸν ἐς τὰ π. π.* Cf. etiam v. 89 et v. 697. Attamen id hic paullo longius repetitum est. Retinui igitur *τρέψεται*, ut simplicius.

v. 41. Rav. *ὄφελ'*, inventum illud ab eo, qui versum ita metiebatur *φεῦ εἴθ' | ὄφελ' ἦ | —*, nec melius scriptura pessimi Codicis, ubi *φεῦ* deest. *Φεῦ* saepenumero, ut hic, extra versum esse constat. Veluti in Pluto v. 561 quum *τοιούτον* exRm consignatum sit, scribi debet:

*σὺ μῆδὲν εἰς ἐμ' ὑπονόει τοιουτονί.*

Βλ. *φεῦ*,

*ὡς οὐδὲν ἀτεχνῶς ὑγιᾶς ἔστιν οὐδενὸς cet.*,

plane ut legitur in Ran. 141. Quod animadvertit jam Dobreus.

v. 47. *Μεγακλέους, τοῦ Μεγακλέους ἀδελφιδῆν*] Hermannus non credibile videtur, hic in re manifesto ficta certum quendam hominem commemorari. Hanc sententiam vir summus mihi non probavit. Offendisset enim Aristophanes spectatorum animos, si de notissima gente Alcmaeonidarum loquens falsa atque inania, quae nusquam exstarent, protulisset. Potius videtur lepido invento veros homines cum Strepsiade, commentitia persona, confudisse. Nihil certe antiquae comoediae poëtam impediabat nominatim perstringere quos vellet cunque. Alibi et Alcibiadem, ex eadem gente oriundum, acerbe exagitavit, et ne Pericli quidem pepercit. Tum Hermannus Scholiastae assentitur, qui Megacelis nomen repeti articulo praemisso confirmavit, ut quam id magnum esset, appareret. Speciose vero Scholiastes, quem sequeretur, nisi melius quiddam mihi viderer invenisse. Boeckhius ad Pindar. Pyth. VII, p. 302 „Alterutrius autem Megacelis, inquit, (sive) Hippocratis (sive Clisthenis) filii, ille Megacles filius est, cujus ἀδελφιδῆν sese uxorem habuisse Strepsiades dicit ap. Aristoph. Nub. 47 *Μεγακλέους, τοῦ Μεγακλέους ἀδελφιδῆν*: ubi nugas praebent Scholia.“ At mire Strepsiades commemoret duo Megacles, cognatos uxoris, patrem reticeat. Aliquid tamen vidisse Boeckhium concedo. Nam Megacles, qui socer Strepsiadis fuisse fingitur, patrem habebat Megaclem, avum Hippocratem, fratrem Euryptolemum, Periclem autem consobrinum. Itaque Pericles uxori Strepsiadis fuit patris non frater quidem, sed tamen consobrinus patris ipsaque Pericli ἀδελφιδῆ (quod hic est *Geschwisterkindertochter*) nominari recte poterat. Nempe Strepsiades suam uxorem facit filiam Megacelis,

B 2

noti illius Megacis h. e. *Periclis* consobrini filiam, sive ex consobrino neptem. Namque illud inprimis tenendum est, τοῦ *Μεγακλέους* positum esse pro τοῦ *Περικλέους*, propterea quod *Μεγακλῆς* et *Περικλῆς* prorsus idem valent. Monuerat hoc Scholiasta, quem nemo audivit: παρόδηται δὲ τὸ *Περικλέους*, *Μεγακλέους*, ὡς ἂν δυνάμενον ἀμφοτέρω ἀδελφιδῆν. δριμέα γὰρ καὶ ἀστεία τὰ τῆς κωμωδίας σκώμματα. Quare mater Periclis cognatione superbiens primo proponit nomen *Ξάνθιππον* v. 64.: Xanthippus enim et pater Pericli fuit et filius. Pericles Megaclem videtur non minus consobrino habuisse, quam Euryptolemum, idque hic innuit Aristophanes. Denique locus noster duplici modo explicari potest. Aut comicus id quod sentiebat, τὴν *Μεγακλέους*, τοῦ *Μεγακλέους*, *Περικλέους* δὲ ἀδελφιδῆν jocose ita contraxit, *Μεγακλέους*, τοῦ *Μεγακλέους* — ἀδελφιδῆν. Aut expressit tantummodo haec, τὴν *Μεγακλέους*, τοῦ *Περικλέους* ἀδελφιδῆν, avo omisso. Quorum utrumvis probetur, illud manebit, τοῦ *Μεγακλέους* significare τοῦ *Περικλέους*. Jam quaeramus, quis ille sit homo, qui in Acharn. 614 ὁ *Κοισύρας* appellatur. Alcibiadem quidem, cujus notae sunt divitiae, notari non posse vel ob aeris alieni magnitudinem recte statuit Elmslejus, qui inepte dici putat Euryptolemum. Enimvero rectissime Scholiasta, ὁ *Κοισύρας*] ὁ *Μεγακλῆς*. Sed quod addit, *Κοισύρα* δὲ ἐγένετο — μήτηρ τε *Μεγακλέους*, id ut fieri potuerit, at nihil habet probabilitatis, etsi fortassis ejusdem erroris particeps est Schol. Nub. 65. Verum hoc Suidae *Κοισύρα* — μήτηρ *Μεγακλέους* (καὶ *Λαμάχου* absurde) *Ἀλκμαίωνος γαμετή*, clarissimo indicio est, confusum esse Megaclem, Periclis consobrino, cum antiquo illo Megacle, Alcmaeonis et Coesyrae filio. Quod quidem egregie stabilitur Scholio Nub. 47 ὁ πρῶτος οὖν *Μεγακλῆς Κοισύρας* ἦν υἱός. Omnia autem nos eo tanquam manu ducunt, ut Megaclem, Megacis filium, Hippocratis nepotem, Euryptolemi fratrem, Periclis consobrino et in Nubibus et in Acharnensibus rideri existimemus, quamvis Megacles, Megacis f., alibi nusquam occurrere videatur. Primum enim aptissime dicitur ὁ *Κοισύρας* (cf. Nub. 48 et 799), quoniam vetus quidam Megacles Alcmaeonis et Coesyrae filius erat. Deinde verissimum est *Μεγακλέους*, τοῦ *Μεγακλέους* et vero etiam ἀδελφιδῆν de Pericle. Tum pauperrimus est et ὁ *Κοισύρας* in Acharnensibus, et in Nubibus filia ejus, quae Strepsiadis uxor dicitur. Postremo consentiunt Scholiastae, ut ad Acharn. ὁ *Κοισύρας*] ὁ *Μεγακλῆς*: quanquam deinceps immiscet antiquum Megaclem, Coesyrae filium. Videtur autem Megacles noster filiam habuisse superbam et prodigam, neque hoc quidem Comicus finxisse. Praeterea infra v. 124 ὁ *Θείος Μεγακλῆς*, inquit Phidippides, tanquam de avunculo. Habebat igitur Megacles Megacis f., praeter filiam, quae uxor Strepsiadis fuisse fingitur, etiam filium Megaclem, avito nomine atque etiam paterno. Omnino dives erat Megacles antiquior, victor, at hic Megacles, qui avunculus Phidippidis appellatur, in

magnam inciderat paupertatem. Nimirum ironice loquitur poëta v. 125, contra autem v. 814 plane ex animi sententia. Ceterum hac omni re iterum perpensa in altera hujus loci explicatione *Μεγακλέους τοῦ Περικλέους ἀδελφιδῆν* jam plane acquiesco. Ita non modo ἀδελφιδῆν propriam servabit potestatem *consobrinam Periclis*, verum etiam non erit, quod Megaclem, Megacelis filium inter verum Megaclem et filiam ejus Dinomachen pro arbitrio, ut fecit Boeckhius, interponamus: quo facto nimium longe ab Hippocrate removentur et Dinomache, et filius ejus, Alcibiades. Quamobrem ὁ *Κοισύρας* in Acharuensis habendus est pro fratre Dinomaches, ac prorsus pro eo Megacle, qui in Nubibus avunculus dicitur Phidippidis. Sed de hac gente forsitan etiam posthac non-nihil dicemus. Commodum stemma Alcmaeonidarum, etsi minus plenum, exhibuit Boeckhius l. l. Cf. etiam Wiggersium meum in libello, quem nuper edidit de Alcibiade, p. 44.

## L E C T I O N E S P R O F E S S O R U M P U B L I C O R U M O R D I N A R I O R U M .

### I N F A C U L T A T E T H E O L O G I C A .

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS *privatim* 1) h. VIII—IX. *encyclopaediam et methodologiam theologicam* docebit; 2) h. IX—X. *historiam dogmatum* enarrabit. *Publice* 1) *instauratae religionis historiam* tradet, et 2) in Seminarii sodalitia *catechetica* praecipiet. Sodalium *homileticas et catecheticas exercitationes*, more consueto, moderabitur.

D. ANTONIUS THEODORUS HARTMANN *privatim* senis per hebdom. horis h. VIII—IX *Jesajae oracula* interpretabitur; h. X—XI. cursus exegetici in N. T. primam partem senis per hebdom. horis *Evang. Matthaei, Marci et Lucae* explicabit.

D. IO. PHIL. BAUERMEISTER, 1) *quinis* per hebdom. diebus hor. VI—VII. *dogmaticam christianam* docebit; 2) *senis* per hebdom. dd. hor. X—XI. cursus exegetici in Nov. Test. partem primam, *Matthaei, Marci et Lucae Evangelia* interpretabitur; 3) *quinis* per hebdom. dd. hor. XI—XII. *isagogen historicam et criticam in omnes Vet. et Nov. Test. libros* tradet.

D. CAROLUS FRIDERICUS AUGUSTUS FRITZSCHE 1) *publice* binis dd. h. VII. *hermeneuticas sacrae N. T. praecepta* tradet; 2) *privatim* *quinis* dd. h. X., quum de Pauli Apostoli vita, ingenio et scriptis copiose disseruerit, *datas ad Romanos et ad Galatas epistolas* interpretabitur; 3) *privatim* *quaternis* dd. h. VII. *Theologiam moralem* docebit.

### IN FACULTATE JURIDICA.

D. FERDINANDUS KAEMMERER tradet 1) *Institutiones juris romani*, duce *Konopak*, h. XI. 2) *Jus Germanicum privatum*, excluso jure cambiali et maritimo, sed junctis subinde juris Mecklenburgici observationibus, ex schedis suis, h. XII.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER tradet 1) *Institutiones juris*, sec. contextum, quem recensuit Dr. *Vogel* [Eadenpreis 20 fl.], h. VIII. 2) *Processum civilem*, duce *Martin*, h. XI. 3) *Jus canonicum*, duce *Wiese*, h. III. 4) Scholas relatorias, disputatorias et examinatorias cupientibus offert.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER docebit 1) *Jus canonicum*, duce *Wiese*, h. X. 2) *Jus feudale commune et Megapolitanum*, duce *Paetz*, h. III. 3) *Jus publicum et privatum Megapolitanum*, ex schedis suis, h. IV.

D. FRIDERICUS RASPE tradet 1) *Processum civilem juris communis et Mecklenburgici*, ducibus *Linde* et *de Kamptz*, h. XI. 2) *Principia processus criminalis juris communis et patrii*, duce *Martin*, h. XII. 3) Scholas relatorias easque privatissimas cupientibus offert.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS docebit *Jus Pandectarum*, h. IX et X.

### IN FACULTATE MEDICA.

D. SAMUEL GOTTLIEB DE VOGEL Serenissimi Magni Ducis summo jussu ad dirigendum Balnei marini Doberanensis usum abiturus praelectionibus semestri aestivo habendis non vacabit.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI tradet 1) *Chirurgiam*; 2) *Artem obstetriciam*.

D. HENRICUS SPITTA quaternis hebdomadis diebus docebit 1) *Medicinam forensem* et 2) *Clinicam medicam* moderari perget quotidie.

D. CAROLUS STREMPPEL quaternis p. h. diebus 1) hor. VIII. *Materiam medicam*; 2) hor. III. *Pathologiam* et *Therapiam generalem*. 3) *Exercitationes practicas medico-chirurgicas* in Clinico hor. XI. more consueto moderari perget.

D. C. FR. QUITTENBAUM 1) hora VI—VII. in Demonstrationibus anatomicis *Osteologiam*, *Syndesmologiam* et *Myologiam* quater per hebdomadem docebit; 2) horis III—V. *Chirurgiae manualis primam partem* sexies per hebdomadem tradet. 3) Privatissime Repetitorium anatomicum et chirurgicum, etiam Cursum operationum chirurgicarum cupientibus offert.



—————

**IN FACULTATE PHILOSOPHICA.**

P. J. HECKER, Academiae Senior etc., hebetata oculorum acie ostendit se impeditum esse, quominus sequenti aestate scholas aperiret.

GERARDUS PHIL. HENRICUS NORRMANN exponet  
1) privatim *historiam Germaniae pragmaticam*; 2) privatissime vero *oeconomiam politicam*.

J. S. BECK 1) *philosophiam moralem* h. VIII—IX.; 2) aut *doctrinam fractionum continuarum*, aut *elementa Staticae et Mechanicae* h. III—IV. publice tradet.

D. HENR. GUSTAV. FLOERKE auditores instituet ad *cognoscendas plantas*, quater p. h. h. VII.

ERN. AUG. PHIL. MAHN publice docebit *Elementa linguae Arabicae*; privatim 1) *Psalms eximios* interpretabitur h. XI. vel h. III. 2) *Exercitationes Ebraicas* moderabitur h. II.

D. JO. RUDOLPH. SCHROETER propter valetudinem, qua premitur incommoda, lectiones semestri aestivo non habebit.

FRANCISCUS VOLCMARUS FRITZSCHE Publice  
1) quaternis diebus h. XI. *Thesmophoriazusas et Pacem Aristophanis* illustrabit; 2) binis diebus h. XI. *Plauti Militem gloriosum* interpretabitur. Denique exercitationes *Seminarii Philologici* moderari perget, in quo *Aeschyli Supplices* paullo doctius tractabuntur, *Phormio* autem *Terenti* exponetur discipulis.

EDUARDUS DAN. HENR. BECKER docebit 1) *Culturam plantarum agrestium et silvaticarum*, quaternis dd. h. XI.; 2) *Rem pecuariam*, quat. dd. h. XII.; 3) *Agros metiendi formasque delineandi doctrinam*, quinis dd. tradet h. III., injungendis exercitationibus practicis.

V. A. HUBER 1) publice quaternis p. h. diebus inchoatae a Luthero reformationis sacrorum historiam politicam enarrabit. 2) Privatim trinis p. h. diebus de literarum elegantiorum apud Anglos historia disseret. 3) Publice trinis p. h. diebus unam alteramve ex comoediis vel tragoediis Shakspeari iis explicabit, qui rudimentorum linguae anglicae aliquatenus saltem periti sunt. 4) Privatissime linguam anglicam, gallicam, hispanicam, lusitanicam, italicam docebit.

D. LUDOVICUS BACHMANN privatim binis diebus h. XI. *lectiones Archaeologicas* habebit; publice binis diebus h. X. *Strabonis Geographiae librum quintum* explicabit.



LECTIONES  
 PROFESSORUM PUBLIC. EXTRAORDINARIORUM.

D. CAROLUS TÜRK tradet publice 1) *Historiam Danorum* usque ad a. 1240, h. II. binis diebus; privatim 2) *Encyclopaediam et Methodologiam juris*, h. II.; 3) *Jus Germanicum privatum*, h. XI.

D. FRIDERICUS FRANCKE privatim docebit 1) *Mathesin puram*; quinis diebus per hebdomadem, 2) *Logicam et dialecticam*, quinis dd.; publice vero *historiam philosophiae* explicabit totidem dd. Praeterea commilitonibus offert scholas in quibusvis philosophiae partibus.

D. GEORGIUS NICOLAUS BUSCH privatim interpretabitur 1) dd. Lun. et Jov. h. III—IV. *Taciti Agricolam*; 2) h. XI—XII. *Euripidis Phoenissas*. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.

D. H. KARSTEN hasce offert lectiones: publice 1) *trigonometriam* binis p. h. horis; privatim 2) *geometriam analyticam* quater p. h.; 3) *mineralogiam* quater p. h.; 4) *physicam experimentalem* una cum collega amicissimo DE BLUECHER quinquies p. h. Privatissima denique proponit collegia in quavis matheseos et physices parte, neque deerit iis, qui in rebus nauticis edoceri velint.

D. HELMUTH DE BLUECHER privatim 1) *Physicam experimentalem* una cum collega KARSTEN quinquies p. h., 2) *Chemi- am experimentalem* sexies p. h. hor. VII.; privatissime *Chemi- am pharmaceuticam* quater p. h. tradet.

D. EDUARDUS SCHMIDT tradet 1) publice: *introductionem philosophicam in theologiam dogmaticam*, bis p. h.; 2) privatim: *historiam philosophiae*, quinquies p. h. hora IV—V.; 3) privatim: *encyclopaediam disciplinarum philosophicarum*, quater p. h. hora XI—XII.



LECTIONES  
DOCTORUM PRIVATORUM.

JURIDICAE.

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE  
1) *processum judicarium civilem tum communem tum Megapolitanum* horis constituendis docebit; 2) *hora commoda scholam suam civilem eamque practicam* more consueto moderabitur. Privatissime *repetitoria et examinatoria* commilitonibus offert.

MEDICAE.

D. med. et phil. GEORGIUS FRIDERICUS MOST docebit *gratis* 1) *Medicinam popularem*, 2) *privatim: Pathologiae et Therapiae specialis* secundam partem, in ductum libri sui: *Encyklopädie der gesammten medicinischen Praxis* etc. Leipzig, Brockhaus, 1855. Bd. I. Caeterum offert *examinatorias scholas medico-practicas*.

D. C. KRAUEL *privatim* docebit: *Artem obstetriciam* dieb. Lun., Mart., Jov. et Ven., h. III.

D. JO. FRID. GUIL. LESENBERG docebit: 1) *Encyclopaediam et methodologiam artis medicae*; 2) *Chirurgiam*; 3) *Artem obstetriciam*. Praeterea *repetitoria et examinatoria* quarumvis artis medicae partium offert.

D. CAROLUS HANMANN 1) *gratis artem formulas medicas concinnandi*; 2) *privatim chirurgiae partem primam et ophthalmiatriam* (ducibus *Chelio* ac *Beckio*) *junctis exercitationibus operativis et repetitoriis* docebit.

D. JOANNES SCHROEDER docebit, *privatim*: 1) *Medicinam forensem*; 2) *de terrae in hominem vi vel tellurica vel siderica, neque non reciproca, quam inter utrumque observare licet, actione*; publice: 3) *de morbis syphiliticis* disseret.

---

**PHILOSOPHICAE.**

D. CAROLUS WEINHOLTZ privatim 1) *Logicam empiricam*, ex Compendio suo (*Die Erfahrungs-Logik*, Rostock 1854.), docebit; 2) *doctrinas morum philosophicas* critice tractabit.

D. C. F. A. THEOD. KASTNER horis commodis docebit: 1) *Philosophiam naturalem*; 2) *Arithmeticam universalem* et 3) *Polytechnologiam*; denique 4) de *Physices* et *Chemiae* phaenomenis (mathematice) *demonstrandis* disseret.

---

*Bibliotheca* et *Museum* quovis Mercurii et Saturni die aperiuntur. *Gallicam*, *Anglicam*, aliasque linguas exoticas discendi occasio non deficit. Sunt etiam magistri publice constituti, qui artem *equitandi*, *pingendi* et *musicam* doceant. *Rei herbariae* studiosis, quum apud praefectum nomina professi fuerint, quotidie aperiuntur horti Academiae herbarii.

*Domicilia commoda* quaerentibus monstrabit J. H. Schulze, Academiae nuncius juratus.

---

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur  
Dr. *Carolus Fridericus Augustus Fritzsche*, Theol.  
Prof. Publ. Ordin.

Praesidet ordini Theologorum *A. Th. Hartmann*, Ph. et  
Th. D. — Jurisconsultorum *F. Kaemmerer*, J. U. D. —  
Medicorum *H. Spitta*, M. D. — Philosophorum  
*E. D. H. Becker*, Ph. D.

---